



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

in decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXVI. Vtrum Christo Domino, provt est in sacramento, conueniant ea
omnia, & sola, quæ conueniunt eidem provt est in Cœlo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Art. 2. Consequenter autoritas Ecclesie non requiritur, in re presenti, speciali aliqua de causa, quasi præterea, quæ habentur in scriptura oportuerit Ecclesiam nisi traditione, aut particulari alia reuelatione non scripta; sed tantum requiritur ea ratione vniuersali, quæ est regula credendorum, & quod ipsa dicit circa contenta scriptura, est essentialiter conuertibile cum eo, quod re ipsa continetur in illa. Quapropter fieri nullatenus potuit ut Ecclesia aliter doceret quam docet, circa istud mysterium, & circa sensum eorum verborum, non præexistente diuersitate in locutione Christi, inque eius circumstantiis, prout habentur in Euangelis, & apud Apostolum uti superius expensum est.

Ad 2. Iam innouit quomodo contineantur, in ea duplici propositione consecratoria, omnes conclusiones hucusque traditæ. Concilia porro, & aliæ auctoritates, quæ pro illis stabiliendis adducta sunt, fundantur in sola eorumdem verborum consecrationis veritate. Vnde ad eam omnia demum reuocantur.

QVÆSTIO LVII.

Vtrum Christo Domino, prout est in sacramento, conueniant ea omnia, & sola quæ conueniunt eidem prout est in Cælo?

Videntur nec ea omnia, nec sola conuenire. 1. Quia non retinet Christus in sacramento pulchritudinem, quam habet in Cælo. In sacramento enim omnes partes corporis, absque vilo inter ipsas ordine, sunt accumulatae, & inuicem penetratae in singulis partibus spatij specierum, quod repugnat pulchritudini; utpote consurgenti ex diuersa situatione singularum partium, cum determinata, & idonea quadam, tum distantia, tum propinquitate illarum inter se.

2. Christus, ut est in sacramento nullas fensiones elicere potest; nec vllum actum intellectus, aut voluntatis mediata vel immediata pendente a sensibus, nec vllas actiones exteriores. Negari autem minime ei potest potentiam proximam efficiendi hæc omnia esse aliquam peculiarem perfectionem, eamque conuenire Christo Domino, ut in Cælo. Non igitur habet in sacramento omnem perfectionem, quæ sibi conuenit in Cælo.

3. Corpus Christi, ut est in sacramento, habet modum existendi in loco proprium spirituum. Est enim totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatij. Existencia autem in loco ad modum spirituum est perfectior, quam quæ est corporibus conaturalis; eamque non habet Christus in Cælo. Ergo habet in sacramento perfectionem aliquam peculiarem, ultra eas, quas habet in Cælo.

4. Christus, ut existens in sacramento, plus nobis prodesse potest, quam si solum existeret in Cælo. Alioquin inutiliter institutum fuisset hoc sacramentum, essetque omnino superflua realis Christi præsentia in illo. Possè autem plus prodesse aliis, est plus habere perfectionis in se. Quia potentia perficiendi alios est æstimabilis, & appetibilis per se; & plus, quæ magis perficere potest. Accrescit igitur Christo perfectio specialis ex sua in sacramento præsentia.

5. Christus in sacramento vnitur accidentibus panis, & vini vnione vera, ac reali; & ratione huius vnionis attribuantur ipsi plura specialia prædicata, ut manducari, & bibi, ac viuificare, quæ habentur in Euangelio; & manibus sacerdotum tractari, ac frangi, atque fidelium dentibus arteri, quæ habentur c. Ego Beringarium de consecrat. dist. 2. aliaque similia. Om-

nis autem vnio est perfectiua, aut deterioratiua vtriusque sui extremi. Si enim quod alterutri eorum adiungit, est conueniens eidem; est perfectiua eius, si non est conueniens, est deterioratiua; atque inter hæc duo non datur medium. Idem argumentum instituitur de peculiaribus illis prædicatis attributis ratione eiusdem vnionis. Conueniunt igitur Christo, ut est in sacramento, speciales aliquæ perfectiones, aut imperfectiones.

Art. 1. Respondetur: Christo Domino, ratione suæ præsentia realis in sacramento, nulla prorsus accrescit, aut decreuit perfectio. Non quidem accrescit, quia si accresceret, non solum nostra interfuisset, sed etiam Christi, ut institueretur hoc sacramentum; nec gratia nostri tantum, sed & gratia ipsius institutum fuisset, & rursum quia humanitati Christi ratione vnionis ad verbum debetur omnis perfectio possibilis; institutio huius sacramenti, non purè liberaliter, & gratiose, sed naturali necessitate facta fuisset, supposito mysterio Incarnationis. Quæ tamen repugnant communi persuasioni fidelium, & modis loquendi Sanctorum Patrum, ac Conciliorum circa hoc sacramentum, & eius institutionem.

Art. 2. Sed neque decreuit indidem aliqua perfectio. Quia si aliqua decreveret, pateretur Christus aliquod malum, postquam factus est impassibilis, & purè ac perfectè beatus, eiusque mali esset ipsi auctor quicumque consecrat, & sacramentum esset nocivum auctori suo. Certum namque est defectum cuiusvis perfectionis, esse aliquam imperfectionem, & malum aliquod in subiecto illius proprio, & naturali, eiusque inclinationi, ac exigentiæ innatae repugnare, quod si ibi deficiat aliqua sua perfectio, vbiunque tandem, & quomodocunque eam deficere contingat.

Art. 3. Deinde non est necessarium, aut conueniens ad finem sacramenti, ut Christo, prout in illo continetur, addatur, aut detrahatur aliqua perfectio; finis namque est communicatio donorum gratiæ respectu nostri: habet autem Christus sufficientem ad hoc perfectionem prout est in Cælo; nec minus habens, redderetur magis idoneus ad communicandum aliis.

Art. 4. Denique Christo, ut est in sacramento ea omnia, & sola conueniunt, quæ sufficienti ad verificanda verba consecrationis, & ad explendam re ipsa significationem propriam illorum, uti ponderatum est superius in quæstione præsertim proximè præcedenti. Verba autem consecrationis, nec augmentum perfectionis significant, nec decrementum, sed solam vnionem corporis, & sanguinis Christi ad accidentia panis, & vini. Et quidem vnionem, qualis præcisè sufficit, ut Christus sit demonstrabilis ad sensum, mediantibus iis accidentibus. Existenti namque tali vnione, omnino verificatur: hoc scilicet substantia his accidentibus seu substantiam his accidentibus deiunctam, & in cuius cognitionem ea perducunt, esse corpus, & sanguinem Christi. Patet autem huiusmodi demonstrabilitatem Christi ad sensum, saluari optimè, quin addatur, & quin detrahatur illa perfectio, ultra, aut citra perfectionem præexistentem.

Art. 5. Pro maiori huius rei claritate notanda est differentia inter vnionem istam sacramentalem, ac supernaturalem; & vniones alias naturales. Vniones naturales accidentium cum suis substantiis ad hoc dantur, ut eadem substantia perficiantur, & compleantur per accidentia, atque reddantur habiles ad effectus, quos in se præcontinēt, producendos. Ex quo conficitur easdem per eadem reddi sensibiles, ac demonstrabiles proximè ad sensum; at vnio sacramentalis accidentium cum substantia sacramentaliter præsentē sub ipsis, non ad hoc datur, ut perficiatur, & compleatur substantia. Quæ videlicet iam præsupponitur

antece

antecedenter omnino perfecta, & completa, tam secundum se, quam in ordine ad suas operationes. Ad hoc solummodo datur, ut praestet, quod ad conceptum sacramenti formaliter pertinet, nempe, ut significetur substantia, & reddatur sensibilis, ac demonstrabilis ad sensum, possitque percipi per fidem, mediante sensu; non solum auditus, quod est commune aliis mysteriis fidei, sed etiam visus, gustus, tactus, & olfactus, quod est huic mysterio proprium & peculiare. Ad istam porro perceptibilitatem Christi per fidem, mediantibus iis sensibus, consequuntur effectus donorum gratiae intenti ad nostram utilitatem in institutione huius sacramenti, ut expositum est, q. 63. art. 10. & ad 3. Cum ergo istiusmodi sensibilis, & perceptibilitas per fidem mediantibus sensibus nihil noceat, nihilque profit Christo Domino, ut per se patet; apparet utique clare nullam perfectionem mediatam, vel immediatam accrescere, aut decrescere Christo Domino, ex vi verborum consecrationis, ac proinde ipsum retinere in sacramento omnes, & solas eas perfectiones, quae sibi insunt, ut in Caelo.

Art. 6. Hinc ulterius deducitur. Primo unionem accidentium panis, & vini, cum corpore, & sanguine Christi, esse pure penetratiuam eorumdem accidentium cum eisdem corpore, & sanguine, & consequenter esse determinatiuam corporis, & sanguinis Christi, ut sint demonstrabilia ad sensum, ac perceptibilia per sensus, mediantibus accidentibus praedictis. Neque quidquam aliud praestare eadem accidentia, respectu eorumdem corporis, & sanguinis. Quia hoc solum sufficit ad finem sacramenti, neque quidquam amplius requiritur, vel immediatam, vel etiam mediatam, ad veritatem verborum consecrationis.

Art. 7. Deducitur rursus, aduersus neotericos non paucos, nullam Christo Domino conuenire vbicationem, aut praesentialitatem specialem in sacramento, distinctam realiter ab ea unione ad accidentia panis, & vini. Quia per solam unionem sufficienter determinatur, ut adsit vbicunque aderunt accidentia, quae pro vnoquoque tempore vnicum tantummodo locum habent, itaque singula eiusmodi accidentium collectiones determinant ad singula loca corpus, & sanguinem Christi Domini, pro vnaquaque temporis differentia.

Art. 8. Deducitur tertio eandem unionem, pure penetratiuam in ordine ad locum, subiectari adequatam in solis accidentibus panis, & vini. Nempe haec accidentia, amissis propriis substantiis, manent in se incompleta, ideoque capacia, & indigentia recipiendi unionem ad aliam substantiam, quae substantia sit finis cui, respectu ipsorum, sintque instrumenta eius, & gratia eiusdem conferentium. Atque in hoc praecise consistit ratio subiecti sustentationis, quam ab instanti consecrationis exercet Christus respectu eorum accidentium.

Art. 9. Deducitur quarto unionem eiusmodi sacramentalem receptam in accidentibus panis, quod ad conceptum essentialem huius sacramenti attinet, solum terminari immediatam ad corpus Christi, & non ad animam, aut verbum, aut ad sanguinem, &c. Is nimirum est modus unionis accidentium cum Christo, qui est modus praesentiae suae respectu accidentium; quandoquidem haec praesentia est indistincta ab ea unione, ut modo dictum est, art. 7. Dictum autem similiter est q. 63. & 65. solum Christi corpus esse praesens sub accidentibus panis ex vi verborum directam, ac immediatam; caetera vero solum concomitanter, solaque consecratione quadam naturali propter coniunctionem, quam de facto habent cum corpore. Ergo idem suo modo dicendum est de unione cum iisdem accidentibus, deque terminatione eiusdem unionis, ac coniunctionis mutuae. Eadem porro ratio est de

accidentibus vini respectu sanguinis, deque sacramentali eorum unionem terminata immediatam ad solum sanguinem.

Art. 10. Deducitur quinto Christum Dominum non informari proprie, neque compleri, vel secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem, per praedictam unionem cum accidentibus, aut per ipsa accidentia. Quia antecedenter ad unionem eam sacramentalem, est omnino, ac vltimo completus, & perfectus Christus Dominus, tam substantialiter, quam accidentaliter, tum secundum omnes, & singulas suas partes: & consequenter non est capax vterioris alicuius informationis, & complementi substantialis, aut accidentalis. Praeterea accidentia panis, & vini non sunt formae ex sua natura completivae, informativae, ac perfectivae respectu corporis, & sanguinis humani. Fieri autem, nec diuinitus, & de potentia, absoluta potest ut aliquid compleatur, ac perficiatur per formam, quae non est completiva, ac perfectiva eius ex sua natura, ut apparet ex dictis supra quaest. 22. Immutatur nihilominus humanitas Christi per eandem sacramentalem unionem. Quia cum uniat ut eius unionis tota humanitas singulis partibus actualibus accidentium, est impossibile, ut ibi retineat modum existendi in loco, seu praesentiae localis sibi connaturalem, quem habet in Caelo. Vnde necesse est, ut eatenus aliter se habeat in sacramento, ac se habet in Caelo, & quam ferat eius natura; ideoque necesse est, ut immutetur intrinsece saltem negatiue.

Art. 11. Deducitur postremo ex multiplicata praesentia sacramentali, non valere consequentiam, ut nonnulli putant ad possibilitatem multiplicis vbicationis circumscriptivae, & connaturalis quoad substantiam respectu eiusdem entitatis corporeae pro eodem tempore. Quia praesentia sacramentalis, ac definitiva, non solum ipsa per se non perficit entitatem, quam afficit; sed neque eam disponit, aut reddit proximam potentem ad exercendas proprias operationes, seu ad agendum, ac patiendum iuxta suam naturam; nec corpus ratione eius praesentiae occupat propriam locum, in quo est, quominus ibidem aliquid aliud existere possit. Apparet hoc clare, iuxta dicta in humanitate Christi non potente proximam quicquam agere, aut pati corporaliter, ut est in sacramento, nec impediens quominus adsint ibidem accidentia panis, & vini, & suae ipsae partes integrales, aliae simul cum aliis in singulis partibus spatij: quo tamen modo esset impenetrabilis ex natura rei, eadem humanitas, si adesset eidem loco circumscriptivae, & cum vbicatione sibi connaturali. At vbicatio circumscriptiva, & connaturalis rei corporeae reddit illam capacem agendi & patiendi corporaliter, ac physice, atque occupatiuam loci, in quo est, ac demum habilem ad alia plura, quae inde dependent. Manifestum autem est capacitatem existendi simultaneam in multis locis cum potestate proxima agendi, & patiendi in omnibus illis vel saltem in quouis eorum indiscriminatum, atque occupatum omnia ea loca, cum aliis eiusmodi consecratis, esse aliquid plus, quam capacitatem ad solam secundum se, praesentiam simultaneam in multis locis per puram aggregationem ad aliud, & per solam intimam cum illo coniunctionem, eamque minime perfectivam, siue ut quo, siue ut quod respectu rei sic praesentis. Neque vero minus manifestum est non valere consequentiam affirmatiue a minori ad maius.

Art. 12. Neque quidquam interest praesentiam supernaturalem, qualis est, respectu corporis, praesentia definitiva, & sacramentalis, esse aliquid plus, ac maius, quam praesentiam naturalem, qualis est intrinsece respectu eiusdem praesentiae circumscriptivae. Quia est aliquid plus, & maius, ac mirabilius ex parte agentis, quod est Deus, cuius virtus aequa-

liter se habet ad omnia, & qualibet non repugnantia intrinsecè, ac essentialiter; non tamen est aliquid plus, & melius aut vtilius, sed minus, vt visum est, comparatione rei creatæ taliter vbiatæ, cuius capacitas non est æqualis ad omnia indiscriminatim, sed est essentialiter limitata, ad aliqua sibi congruentia determinatè sumpta. Confert igitur ad faciliorem credibilitatem huius mysterij, quod dictum, & expositum hucusque est; præsentiam sacramentalem nihil perfectionis, & bonorum vllò modo addere, vel demere Christo Domino, eiusque corpori, & sanguini.

Ad 1. Distinguenda est pulchritudo entitativa, & intelligibilis, seu conueniens rei materiali in ordine ad se, à pulchritudine situati, & proximè sensibili, seu conueniente eidem rei in ordine ad locum. Pulchritudo entitativa, & intelligibilis, seu ad se, & in se præcisè consistit in vnione ordinata partium integralium corporis, & qualitatum, quæ illi insunt cum idonea quadam proportionem, ac partitionem: itavt aliqua vniantur sibi inuicem immediatè, aliis verò mediatè; & rursus quibusdam mediante vnione plurium partium, quibusdam verò aliis mediante vnione pauciorum partium, Hæc pulchritudo pertinet ad perfectionem rei corporalis. Quia vnio integralis partium pertinet ad constitutionem, & complementum intrinsecum corporis. Pulchritudo situati, proximè sensibilis, & præcisè in ordine ad locum consistit in vbiatione partium similiter ordinata, quæ necessariò resultat iuxta naturam, & exigentiam rei, ex dicta earundem partium vnione, idoneè ordinata. Posterior ista pulchritudo, non pertinet ratione sui ad perfectionem corporis, nec est propriè pulchritudo, quæ propter se formaliter aut delectet inuidentes, aut commendet sapientiam artificis; sed est pura conditio, sine qua non, & applicatio necessaria, vt prior illa vera pulchritudo, quæ talis est formaliter ratione sui, percipiatur mediante sensu. Alioquin vera pulchritudo æstimabilis ratione sui, esset alia; atque alia, quoties moueretur res pulchra; & posset esse artifex nouæ pulchritudinis in homine, aut imagine, sicut est auctor nouæ vbiationis, quicunque potest mouere loco hominem, aut imaginem. Quod est absurdum. Perperam autem istud argumentum dicitur à nonnullis vulgare, eoque nomine deridetur; quasi verò sit ridiculum, & sapiente indignum argumentum, quod desumitur ex sensu communi generis humani, & præcisè, quia desumitur ex eo sensu; quo tamen nihil re ipsa validius est inter argumenta naturalia apud hominem verè sapientem, & nolentem desipere cum inani, ac probrosa prærogatiua paradoxi. Christus autem Dominus retinet in sacramento omnem omnium suarum partium vnionem ordinatam in se, & ad se; ac proinde retinet totam perfectionem suæ pulchritudinis.

Ad 2. Retinet similiter Christus Dominus totam perfectionem totius suæ virtutis actiuæ, tam intentionalis, quam physicæ, solæque deest conditio, sine qua non ad exercitium eiusdem virtutis: sicut quando deest agenti applicatio ad passum, qui non est defectus vllius perfectionis actiuæ.

Ad 3. Præsentia Christi in sacramento, qualiscunque perfectionis, vel imperfectionis ea sit, non informat ipsum, nec perficit, vt dictum est; sed tantum denominat, vt parum terminum intrinsecum. Deinde modus Angelicus existendi in loco, non congruit corpori, nec disponit ipsum ad suas operationes, sed potius impedit, quo minus operetur, quatenus sic locatum est. Quapropter, esto sit perfectus secundum se, vel magis perfectus absolute talis modus existendi in loco, quam vbi circumscri-

ptuum; perfectionem tamen comparatiuam, respectu corporis, nullam habet; sicut species Angelica, respectu intellectus humani, præfertim quatenus operantis dependenter à corpore, & phantasia, nullam habent vim perfectiui.

Ad 4. Humanitas Christi vt est in sacramento, prodest quidem nobis multo plus, quam si adesset solum in Cælo. Verum prodest in genere solum causæ instrumentalis. Quod genus causæ non indiget speciali in se perfectione pro speciali perfectione effectus. Sufficit namque specialis dispositio, & applicatio idonea ad vsum causæ principalis, vt appareat in aliis quoque instrumentis naturalibus.

Ad 5. Vnio Christi ad accidentia panis, & vini, est perfectissima ipsorum accidentium; non verò corporis, & sanguinis Christi, vt dictum est: sicut & accedit in vnione verbi Diuini ad humanitatem. Sunt nimirum istæ duæ vniones mirabiliter, ac delectabiliter affines inter se, quoad multa, vt ex dictis in tota ista quæstione perspicitur à quouis facile potest. Prædicata, quæ conueniunt Christo ratione istius vnionis sacramentalis, & insinuantur in obiectione, dicuntur de ipso per solam communicationem idiomatum. Eaque propter, circa eiusmodi prædicationes, obseruanda sunt, quæ in simili notata, & exposita sunt, quæstione 23. de Incarnatione. Concluditur itaque eam vnionem, eaque prædicata esse quid conueniens respectu Christi, conuenientia decentiæ, non verò conuenientia vtilitatis, aut nouæ perfectionis intrinsecæ: ideoque ipsum esse specialiter laudandum, ac diligendum ob institutionem huius sacramenti, & ob dignationem suæ realis præsentia in ipso: non tamen esse specialiter inde, aut melioratum, aut deterioratum vlla ex parte: ac proinde conuenientiam huius posterioris generis esse purè negatiuam respectu Christi, solūque respectu nostri esse positiuam.

Q V A E S T I O XLVII.

Virum post consecrationem maneant omnia accidentia panis, & vini cum tota priori vi actiua, & passiva.

Videntur nec omnia manere, neque cum tota priori virtute. 1. Quia accidentis esse est inesse; id est accidentis essentia in hoc consistit, vt inest substantiæ, iuxta communem definitionem ex Philosopho 8. metaph. fine. Repugnat autem aliquid manere idem deficiente eius essentia; seu quod pertinet ad essentiam eius. Ergo repugnat, vt accidentia panis, & vini maneant realiter eadem, post consecrationem, cum per eam deficiat vtriusque substantia.

2. Concil. Trident. definit. sess. 13. can. 2. conuersionem Eucharisticam fieri manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini. Nomen autem speciei non est commune omnibus accidentibus, sed illis solis conuenit, ratione quorum vnaquæque substantia habet apparentiam respectu sensus, & quæ proinde sunt sensibilia immediatè ratione sui; præter quæ dantur alia accidentia, quæ mediatè tantum cognoscuntur per sensum, vt grauitas, leuitas, &c. Ergo non manent omnia absolute accidentia panis, & vini, sed aliqua dumtaxat.

3. Plus dependet posterius à priori, quam prius à posteriori. Substantia autem est prior accidentibus, vt dicitur 7. metaph. text. 4. & nihilominus definit esse in hoc sacramento propter separationem